

desineret Ethicus, ibi inciperet Iustus, Legibus armaturus Virtutem: quibus eò melius in officii gyrum redigeretur homo. Leges quippe vel imperant, vel prohibent. Imperant honestum, idque cum præmiorum pollicitatione; prohibent turpe, idque cum poenæ comminatione faciunt.

### APHORISMUS XLII.

*Alii ad posteriorem, de Finis illius Subjecto, sive CIVITATE, deq; Mediis, sive LEGIBUS, Partem referuntur: suntq; hi ipsi vel subordinantes, POLITICORUM nempe superstites Libri IIX.*

### EXEGESIS.

§. I. Posteaquam in Aula natus philosophus, ipseque & magnorum principum, Philippi, Alexandri, Antipatri & Antiochi Consiliarius atque Comes, vel semel plenum perfectumque Opus molitus, Partem priorem Philosophiæ Practicæ in ETHICIS, præsertim NICOMACHICIS, facili pro-